

1982-07-15 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Signum Illud’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

SIGNUM ILLUD

BEATAE MARIAE VIRGINIS SACELLUM VULGO APPELLATAE «OUR LADY OF CHARITY» INTRA FINES DIOECESIS FERDINANDOPOLITANAE AB UNIONE AD GRADUM PROVEHITUR DIGNITATEMQUE BASILICAE MINORIS

Ad perpetuam rei memoriam. – Signum illud sanctuariumque Beatissimae Dei Genetrici Mariae dicatum sub vernaculo nomine «Our Lady of Charity», Dominae nostrae scilicet a caritate, quod in finibus communitatis ecclesialis Ferdinandopolitanae ab Unione diu iam celebratur a christifidelium multitudinibus, non tantum aedificii ipsius amplitudine artisque sacrae commendatur decore, verum usu catholicae religionis etiam et perantiqui cultus consuetudine. Cum praeterea eadem vitae paroecialis sedes ac totius regionis quasi quoddam centrum apostolici operis singulariter emerit inter aedes sacras omnis insulse Luzonis, his ideo de causis convenienter quidem Venerabilis Frater Salvator Lazo ipse Antistes Ferdinandopolitanas ab Unione suo tempore poposcit ab Sede Apostolica ut ecclesia sacellum maiore quodam illustraretur liturgicae gratiae ornamento, videlicet Basilicae Minoris titulo. Plane Nos rati confisque fore ut inde in cunctum ibi degentem clerum ac populum christianum plurima manarent fidei industriaeque catholicae beneficia, eiusdem Episcopi libenter obsecundavimus precibus. Ex sententia proin Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino harum Litterarum virtute constituimus ut templum, quod memoravimus, Deo consecratum cum praeclara effigie Beatae Mariae Virginis, Dominae nostrae a caritate, ad honorem evehatur atque gradum Basilicae Minoris, omnibus simul additis ei iuribus et privilegiis quae aedibus hoc nomine insignitis rite competunt. Mandamus insuper ut illa singula accuratissime observentur quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII foras datum adserventur oportet. Contrariis quibusvis haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV Iulii mensis, anno MCMLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*